

donanda, in ipsum cardinalem ac prelibatos heredes et successores ipsius prefatam Bastidam cum omnibus premissis iurisdictione et iuribus plenarie transferentes ipsamque a cuiuslibet alterius potestate et dominio in totum exemimus et ipsam liberam esse censuimus et supplevimus omnem defectum, si quis forsitan in donatione, concessione et translatione pretactis extitit, de nostre precellentia potestatis. Et volentes dictos cardinalem et heredes ac successores favore prosequi gratie potioris, non obstante privilegio imperiali seu mandato, quo dicitur inter cetera contineri, ne quis hominum preter electum vel episcopum et comitem Valentinensem a flumine Isare usque ad castrum Montilii¹ et a castro Creste² usque ad villam de Subdione³ et in toto episcopatu Valentie pedagium vel guidangium^a recipere quoquomodo presumat, quod quidem privilegium necnon et omnia alia et singula privilegia, immunitates et libertates concessa eidem ecclesie Valentinensi per predecessores nostros Romanorum imperatores et principes, cuiuscunque tenoris existant, obtentu dicti cardinalis nos specialiter super hoc et attente rogantis et ex certa scientia confirmavimus et tenore presentium confirmamus, certa sibi in dicta Bastida et appenditiis et circumadiacentiis eius pedagia seu guidangia per aquam in supradictis videlicet fluminibus Rodani et Isare et per terram videlicet per stratas publicas eidem Bastide circumadiacentes, illam videlicet, per quam ad predicta flumina Rodani et Isare itur prope Bastidam predictam, stratam etiam, per quam itur ad terram Romani⁴ in circumadiacentiis Bastide predictae, sive ascendendo sive descendendo iuxta quantitatem et formam in aliis ac presentibus nostris privilegiis seu litteris specificè comprehensas ex proprio nostro motu et liberalitatis arbitrio, rem nostram et imperii credentes ex hoc facere meliorem ac nos et dictum imperium exonerantes satisfacere de predictis, propter causas supradictas, quas ad concessionem huiusmodi iustas et legitimas et canonicas, sufficientes, ydoneas ac probabiles iudicamus atque decernimus, necnon et aliis iustis et legitimis causis ac plene ydoneis et sufficientibus ad concessionem predictas, quas ex causa iusta et rationabili presentibus non

a) So Or.

1) Montilium Ademari, Montélimar an der Rhône. 2) Cresta, Crista, Crest an der Drôme. 3) Subdio an der Rhône, südl. von Valence. Siehe die Karte der Gallia christiana Tom. XVI. 4) Romans an der Isère.